



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Quid causa efficiens sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

cia subiecti. Quidam enim absolute negat, quia subiectum harum formarum, non est in potentia naturali ad illas, sed obedientiali respectu artis humanæ. Hæc tamen ratio parum obstat, quia iam ostensum est verè educi formam de potentia obedientiali. Secundò, quia illa potentia obedientialis non est extra latitudinem potentie naturalis, id est, quæ ab agente ordinis naturalis reduci potest in actum, siue talis actus sit naturaliter debitus tali potentie, siue nò. Vnde quando homo efficit talem formam, re vera efficit illam per virtutem motiuam naturalem, quamuis eam moueat per voluntatem, & dirigat per artē. Quare interdum contingit similem formam vel figuram ab agente naturali fieri casu seu ex concursu plurium causarum. Tertio, quia aliàs in motu lapidis sursum proiecti ab homine, ubi ad quod terminatur, non educitur de potentia subiecti, quia etiam lapis dici potest esse tantum in potentia obedientiali respectu talis motus: imò quodammodo est minor illa potentia quia motus ille violentus est: consequens autem est falsum, quia frigiditas aquæ, etiam si sit violenta, fit per educationem: quamuis enim repugnet formæ, ex parte materię est naturalis capacitas, sic autem est in lapide respectu motus sursum. Quod autem ille motus imprimatur ab agente libero vel naturali, nil refert ad educationem.

Quapropter alii absolute docent formas artificiales educi de potentia subiecti propter rationes dictas. Ego verò cenſeo idem esse iudicium de his formis, quod de aliis modis, qui per reſultantiam fiunt: nam hæc formæ artificiales solum sunt modi quidam accidentales vt supra dictum est, & ad illas non est per se actio Physica: quamuis enim intentio artificis ad illas perſeſtendat, & ideo tali modo dirigat per artem actionem suam, vt formam intentam inducat, tamen actio ipsa per quam exequitur intentionem suam, nò terminatur per se & immediate ad talem formam, sed ad aliquem alium modum, ex quo talis forma reſultat. Semper enim hæc formæ fiunt per motionē localem, quæ proxime terminatur ad vbi, & inde reſultant variæ figuræ artefactorum, vel per incisionē & diuisionem partium, vel per compositionem, & ordinatum situm earum, & ideo in effectione harum formarum non est propria educio, sed qualis in naturali reſultantia esse potest. Hinc verò colligo, hoc non esse proprium harum formarum, eo quod per artem fiant, sed commune est omnibus figuris, etiam si per actionem mere naturalem efficiantur: semper enim fiunt per solam reſultantiam, vel ad productionem, vel ad rarefactionem, densationem, aut situationem quantitatis.

DISPUTATIO XVII.

De causa efficiens in communi.

POST considerationem materialis & formalis causæ, quæ intrinsecè sunt, dicendum sequitur de causis extrinsecis, quæ sunt finalis & efficiens: inter quas licet finalis censeatur prior & nobilior: tamen efficiens causalitas est nobis notior, & ideo de illa dicendum prius est. Non est autem necessarium quærere, an hæc causa sit, tum quia hoc satis probatum est supra, tractando de numero causarum, tum etiam, quia nihil est euidentius & notius experientia: nam transmutationes & generationes quas experimur, fieri non possunt nisi ab aliquo efficiente, quod sit causa & transmutationis, & effectus: nihil enim potest se ipsum de non esse ad esse transferre. Supposito igitur in rerum natura hoc genere causæ, videndum est quid sit, & in quo consistat causalitas eius, & quid requiratur, vt causare valeat. Quia vero in hoc genere multæ sunt causarum species ac

Frans. Suar. Metaph. Tom. I.

modi, ideo prius in communi declarabimus, quid sit hæc causa, & quot membra sub se contineat: quidque omnibus illis commune sit. Postea verò de singulis causarum efficientium speciebus, & variis earum cauſandi modis figillatim differemus, quantum pro huius materię complemento expedire censebimus.

SECTIO I.

Quid causa efficiens sit.

ARISTOTELIS 5. Metaph. cap. 2. & 2. Physicor. cap. 3. causam efficientem in communi definit, dicens esse id, vnde primum principium est mutationis aut quietis. Quæ definitio multa interpretatione & additione indiget, vt ad verum sensum reducat, ita vt omnem causam efficientem comprehendat, & eius propriam causalitatem declaret. Nam in primis nihil in ea esse videtur, quod loco generis constituatur, nam illa particula vnde, quam solum Aristoteles ponit, & improprie ponitur loco generis, & valde æquiuoca est: nam & tempus, & locus dici potest esse id, vnde incipit motus. Quare subintelligendum videtur loco generis, Principium per se, ne autem videatur committi nugatio, dicendo causam efficientem esse principium per se, vnde est primum principium motus: dicendum erit, causam efficientem esse principium per se, à quo primo est, aut sit mutatio: atque ita fit, vt descriptio Aristotelis virtute contineat hoc genus, per quod potest causa efficiens definiri.

Sed tunc oritur secunda difficultas, quia definitio sic exposita etiam conuenit aliis causis, nam materia in suo genere est principium per se mutationis & quietis. Nec satis est, si dicatur excludi per illam particulam primo, quia licet per illam particulam possit excludi causa formalis (nam reuera illa non est primum principium mutationis, sed potius est terminus eius, propter quod dicebamus in superioribus formam, nò esse proprie causam generationis sed rei genitæ) tamen causa materialis non excluditur per illam particulam, quia in suo genere æque primo concurret ad mutationem cum causa efficienti, & ideo etiam illa est principium per se, vnde primo incipit mutatio. Dicit fortasse aliquis, quamuis respectu alicuius effectiōis materia simul causet mutationem cum efficiente, tamen absolute comparando causam materialem & efficientem, hanc esse priorem, quia oportet vt ipsa materia prius fiat, quam causet. Sed hoc nihil ad præsens refert, quia illa antecessio est remota, & respectu alterius actionis, cuius Aristoteles non meminit, nec satis constat, an illam cognouerit. Vnde est quasi per accidens respectu concursus materię & efficientis ad naturalem mutationem. Non ergo id satis est ad excludendam causalitatem materię, alias etiam causa secunda efficiens excluderetur, quia non est prima simpliciter respectu effectiōis, cum necesse sit illam prius effici. Duo ergo dici possunt: vnum est, quod licet secundum rem naturalis mutatio simul sit à causa efficienti, & materiali, tamen secundum rationem prior est influxus causæ efficientis, quam materialis. Vnde, secundum præcisas rationes formales loquendo, passio est ab actione, & non è conuerso, ideoque vera est ac propria hæc causalis locutio; quia agens agit, materia recipit. E contrario verò non proprie dicitur agens agere, quia materia recipit. Sic igitur dicitur efficiens esse primum in ratione cauſandi comparatione materię. Deinde dicitur, materiam excludi per illam particulam vnde. Nam in rigore significat habitudinem ad principium extrinsecum: materia enim est causa mutationis, quia illam in se intrinsece

I. Definitio Aristotelis ca.

Quod in eo genus.

II. Qualiter ad solum definitum adaptetur.

Hh 3

reci-

recipit, & in se sustentat: agens verò est principium actionis seu mutationis, solum quia ab illo manat, & ad illud dicit essentialē habitudinē, ut ad principium extrinsecum, à quo pendet, & hæc propria ratio & habitudo declaratur per illam particulam *unde*, quæ æquivaleret particulæ à quo, quæ proprie tribuitur efficienti: nam materiale principium potius est ex quo. Vnde, maioris claritatis gratia, dici posset causa efficiens esse principium per se, extrinsecum, à quo primo est mutatio.

III.
Quomodo
an illa finis
excludatur
sup.

Sed tunc occurrit tertia difficultas, quia definitio sic declarata potius convenit causæ finali, quam efficienti: est enim finis principium per se & extrinsecum, & est prius in causando, quam efficiens: nam efficiens non agit, nisi motum à fine, & ideo causa finalis solet dici prima inter omnes causas. Sed quia influxus causæ finalis, valde obscurus est, maxime respectu Physicæ, & realis mutationis, ideo breviter dicitur, et si ordine intentionis causa finalis prior sit, tamen in executione efficientem causam esse primam: imo illam solam esse, quæ per se & extrinsecum realiter influit, seu movet. Et hoc modo intelligenda est prædicta definitio, quod illa particula *unde*, vel à quo, satis declarat. Est enim finis principium, vel causa, propter quam fit, vel in quam tendit mutatio, non tamen proprie dicitur principium à quo, vel unde primo manat actio: sed hoc propriissime dicitur de causa efficienti.

IV.
Prima causa
se & secundum
an illa
definitio excludatur
necesse.

At verò occurrit statim quarta difficultas, quia illa definitio non complectitur omnem causam efficientem. Hinc enim videtur convenire soli causæ primæ, quia sola illa est, unde primo incipit omnis mutatio, vel ad summum convenit causæ principalis, non vero instrumentali, vel facultati, quæ est proximum principium agendi, nam instrumentum non agit nisi motum, seu in virtute prioris agentis, & ideo non potest dici instrumentum esse id, unde primo est motus. Aliunde autem videtur illa definitio non convenire primæ causæ efficienti secundum primam ac potissimam efficientiam eius, quæ est per creationem: quia creatio non est mutatio. Ad priorem partem dicendum est, illam particulam, *unde primo incipit motus*, non esse intelligendam de primo principio simpliciter, id est omnino independente, & quod nullam habeat priorem causam, alioqui, ut argumentum concludit, tantum primo motori seu efficienti definitio conveniret: sed intelligendam esse de primo principio in tali ordine, aut genere causando. Vnde causa secunda dicitur primum principium, unde est motus, quia in genere causæ proxime ab illa primo oritur motus: & ita Aristoteles ponit exemplum in patre respectu filii. Aliqui verò existimant cum Alexandro Aphrodisio, per illam particulam excludi causas instrumentales, quia non sunt propriæ causæ. Sed cum Aristoteles ponat exemplum in causa consiliante, quæ videtur magis impropria, & universalius concludat, omni efficienti vel transmutanti convenire definitionem, potius dicendum videtur omnes modos causarum efficientium comprehendisse, ut Scotus notavit: & vnamquamque causam in suo ordine habere rationem principii, à quo primum est actio, vel ut à principali principio, vel ut ab instrumentali, vel ut à perficiente, & exequente, vel ut à consiliente, aut adiuuvante. Illa ergo particula *primo* solum addita est, vel ad excludendas causas omnino per accidens, quæ nullo modo propriè influunt in actionem: vel ad denotandum proprium modum causando efficientis causæ, & distinguendam illam à materiali & formali, quæ non ita sunt primæ, sicut efficiens, ut supra declaratum est. Ad posteriorem partem, si Aristotelis mentem inspicimus, videtur quidem solum definiisse causam efficientem naturalem, quæ semper agit per motum,

vel mutationem: in secundo enim Physicorum tantum de causis naturalibus Aristoteles disputabat, & tamen in 5. Metaph. nihil omnino addidit aut definitioni, aut doctrinæ de causa efficiente. Vtroque tamen loco insinuat, servata proportionē, posse definitionem extendi ad omnem efficientem causam. Vnde ponens exempla, dixit: *Ut is qui consilium, & pater filii, & vno nomine id quod efficit, eius quod fit, & quod immutat, eius quod immutatur.* Si ergo loco illius vocis, *mutationis* vel *quietis* ponamus vocē *actionis*, comprehendens definitio omnem efficientem causam, etiam primam ut creantem, quia, ut infra videbimus, etiam creatio actio est, quamvis non sit mutatio.

Nascitur verò inde alia difficultas, quia videtur hoc modo definitum poni quodammodo in definitione: erit enim causa efficiens, iuxta expositionem datam, principium per se, à quo primo est actio: & quæ autem obscurum est, quid sit actio: imò fere est idem, & eadem expositione indiget, nam actio, & effectio idem sunt: unde efficiens vel agens, ab actione dicitur, definire ergo efficiens per actionem, est idem per idem, vel obscurum per obscurius declarare. Adde, causam per effectum definiendam esse, cum sint correlatiua: actionem autem non esse effectum causæ efficientis, sed rationem causando: ut infra dicam. Dicendum tamen est, cum actio comparatur ad agens per modum formæ, non male rationem agentis per ordinem ad actionem declarari: at Aristoteles vltus est nomine *mutationis*, quia nobis est notior, ut per illam intelligamus, in vnaquaque emanationem seu dependentiam ab illo principio, à quo esse recipit. Vnde, quamvis propria ratio actionis, & distinctio eius ab agente & ab effectu, obscurior sit, ut postea videbimus, in præsentem tamen satis est per actionem intelligere emanationem ac dependentiam effectus à sua causa extrinseca, à qua esse recipit: nam hoc modo, confusè & generatim loquendo, notissimum est dari in effectu dependentiam, seu emanationem à suo principio, quicquid illa dependentia, vel emanatio sit.

Quocirca quamvis actio non sit effectus agentis, tamen quia est via ad effectum, seu dependentia effectus ab agente, satis in ipsa actione comprehenditur, vel indicatur effectus. Perinde etiam est dicere efficientem causam esse primum principium, unde est actio, ac dicere, unde est effectus, media actione, seu, esse principium, à quo effectus profluit seu pendet per actionem. In quo recte etiam significatur differentia inter hanc causam & alias, nam materia & forma, per se loquendo, non causant media actione, sed per formalem & intrinsecam vniōem: finis vero solum causat per Metaphoricam motionem, quatenus finis est: at efficiens causat per propriam actionem ab illo dimanantem. Et in hoc etiam includitur, hanc causam non dare effectui suum ac proprium formale esse, sed aliud ab eo manans, media actione, in quo differt hæc causa à formali & materiali, quod hæc causant suum effectum dando illi suam propriam entitatem, & ideo causæ intrinsecæ appellantur: causa verò efficiens est extrinseca, id est, non communicans effectui suum proprium, & (ut ita dicam) individuum esse, sed aliud realiter profluens & manans à tali causa, media actione. Ex his ergo satis constat tum definitio Aristotelis, tum res ipsa, quid videlicet causa efficiens sit, & in quo ab aliis generibus causarum distinguatur: quæ omnia exactius intelligentur, declarando singula, quæ ad hanc causalitatem concurrunt, ac necessaria sunt.
